

Valahfridus (Wilfried Stroh)

Chori Novákiani

Gaudete, poeticae et musicae amici! Vos autem, qui etiam Latinas Camenas colitis, tripudio saltate! Ecce uobis discum compactissimum affero, qui modesto uestitu indutus dulcissimae Latinae musicae cimelia in se continet. Ianus Novák (1921-1984) quidem – nam de eo loquor – multa carmina Latina ad suos modulos accommodauisse fere omnes scitis, quorum magna pars etiam in discos aliis operibus admixta recepta est. Hic discus autem ea habet selecta cantica, quae Ianus choris canenda destinauit, quae me iudice suauitate omnia uincere uidentur. Accedit quod cantantium chorus Pragensis, qui a Bohuslao Martinů, Nováki magistro, nomen habet (uulgo appellantur *Martinů Voices*) tam molliter, tam acriter etiam et accurate opus suum exsequitur, ut nihil desideres. Sunt autem ea cantica sumpta ex omnibus aetatibus Latinae linguae litterarumque, ut tam metrica classica et noua inueniantur quam rhythmica mediaeualia et recentiora.¹

Ab his autem incipiamus. Nam in prima disci parte auditur *Testamentum* Iosephi Eberle (1901-1986) poetae laureati (qui se etiam Apellum nominauit), tam Sueborum quam Latinorum carminum priore saeculo fere principis.² Is enim, cum uix sexagenarius iam irrepentem senectutem sentire se crederet, scripsit a. 1964 suum testamentum ad imitationem Francisci Villonis (*François Villon*) poetae tam noti quam nobilis:

Villo uere loquitur, nequam et poeta:
senex sicut uetula nil est nisi spreta,
iam non habens pretium tenuis moneta.
Faciamus igitur tempore decreta!

Huic primae strophae carminis (uersibus uagantium scripti) Ianus addit modos musicos, ut uidetur, ualde funestos ac funebres. Quattuor enim cornicines, qui in exequiis Romanorum praeter tubicines primas partes agebant, adstrepunt Iosepho paene iam exspiranti – qui tamen, ut uere dicam, suam aetatem plus quam uiginti annos extensurus erat. Atque ea omnia tam seria sunt quam iocosa; neque enim Ianus fere quicquam composuit, cui non aliqua gutta facetiarum admixta esset. Sequitur, ut pium hominem decet, meditatio de mortis ineuitabili fato. Tunc singulis heredibus sua delegat moriturus, eum in modum scilicet ut more satirico uitia superstitum castiget. Vt cum amico infideli canem suum ut meliorem sodalem et fidei exemplum donat:

Cuidam amicissimo, quem amaui pridem
plus quam meos oculos, sed qui non est idem,
meum fidelissimum (quod ignoscant Di!) dem
canem, ut percipiat infidelis fidem.

Hoc loco uidemus Iosephum Eberle, ut fere omnes poetas rhythmicos, Latina uerba non more antiquo seruatibus syllabarum dimensionibus pronuntiauisse, sed secundum accentus et

¹ Testamentum. Jan Novák, Choral Works: Testamentum (1966); Fugae Vergilianae (1974); Inuitatio pastorum (1971); Exercitia mythologica (1968). Martinů Voices, mod. Lukáš Vasilek, Supraphon (Czech Radio, Prag) SU 4159-2; additur amplius libellus (de quo infra). Totus libellus expressus est sub http://www.martinuvoices.cz/cd/4159_Testamentum_BOOK.pdf (euocauit 18.7.2014). Partes excerptae audiri possunt sub <http://www.supraphon.com/en/catalogue/releases/?item=1347> (euocauit 18.7.2014). CD ipse prostat apud amazon, jpc etc. – Omnes disci quibus opera Novákiana recepta sunt inuenies sub http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov_cd.htm (euocauit 18.7.2014). Omnium operum (non solum Latinorum) indicem inuenies sub http://stroh.userweb.mwn.de/novak/nov_werkverz.htm (euocauit 18.7.2014), cf. etiam <http://www.jannovak.eu/> (euocauit 18.7.2014).

² cf. Monika Balzert, „Rühmen und gerühmt werden: Josef Eberle als lateinischer Dichter“, in: *Josef Eberle: Poet und Publizist*, Stuttgart / München 2001, 139-162.

consuetudinem multa mutauisse. Alioquin cum uerbis *prīdem, īdem, Dī dem* non effecisset *fidem* homoeoteleutum, sed id in *fidem* more Suebico protrahendum erat. Novák tamen hoc quidem loco, quia amator ardens purae enuntiationis erat, breuem *ī* in *fidem* suis modis seruauit, discrepantia illa artificiose dissimulata. Eam autem normam ubique rigide seruare nullo modo potuit. Vnde iam in prima strophā audimus *sēnex, tēnuis* et alia. Quare chorus suo iure, sed id tamen contra Iani monita, omnino eum morem pronuntiandi sequitur, qui inde a medio aeuo in Germania ut in Bohemia plerisque in usu fuit (quoque, ut meis auribus audiui, Apellus ipse utebatur), ut pro *faciamus* sit *fatsiamus*, pro *maesto* sit *māsto* s. *mesto*. Sic euenit ut in secunda strophā id ipsum *maesto* melius consonet cum *honesto*, quam si more uerissimo diphthongice enuntietur. Quod minime improbo.

Sed pauca addamus de Apelli Testamento. Titulos omnes, ut diplomata doctoris h.c., coronae laureae, crucis meritoriae publicae, abiectat siue flammis commendat; nomen tamen suum iam tum a multis propter carmina celebratum non omnino perire uult:

Ad poetae gloriam meum lego gratis
nomen magistratibus huius ciuitatis:
Angiporto tacito nomen imponatis,
ubi furtim iuuenes ludant cum amatis!

Quod uotum saltem ex aliqua parte impletum est. Nam, cum Eberle etiam inter uiuos esset, magistratus Sumelocenae Suebicae (siue *Rottenburgi*), quae poetae urbs erat natalis, pontem supra Nicrum (*Neckar*) positum Iosephi Eberle nomine exornauerunt. Qui pons nuper seruato nomine de nouo constructus est – adulescentibus tamen ad amorem furtiue exercendum ne nunc quidem satis aptus.

Quid mirum est tale carmen comicotragicum et placuisse Iano Novák et rapuisse eum ad modos per singulas fere strophas uarios ac diuersos? Raro in memoriam reuocantur immortalia illa Orffi *Carmina Burana*, pleraque suum peculiarem genium spirant, ut nihil taedi oriatur, choro cantorum strenue adiuuante, qui omne affectuum genus tam in potestate habet, ut existat, quod oratori Tullius olim optauit: *risus cum uelit, cum uelit fletus*.

Proxima pars, quae sunt *Fugae Vergilianae*, nos reuocat, ut titulus ipse indicat, in mediam illam aetatem classicam, qua metra pro rhythmis regnabant.³ Ac Vergilius quidem multo rarius quam Horatius modis musicis instructus est, quoniam hexametri arti musicae repugnare potius creduntur. Sed Ianus Novák ut a. 1967 in *Didone*⁴ sic a. 1974 in his *Fugis* id falsum esse demonstrauit. Subest his quoque uersibus cantus quidam obscurior – aut Maro ipse suos pastores non hexametris potissimum amicas suas cantare uoluisset. Ac duae e quattuor istis *Fugis* in bucolicis siue eclogis pastoralibus uersantur. Prima *Fuga* enim primae eclogae initium (1,1-5), ultima finem ultimae (10,75-77) modis adaptat. *Fugae* autem eae sunt duplici sensu. Nam *fuga*, si secundum doctrinam musicam interpreteris, ea figura est, qua ad canonis similitudinem eadem melodia ab altera ad alteram uocem ita transmittitur, ut quasi ipsa sese *fugere* uideatur. Communi intellectu autem de *fuga* dicimus, cum quis domo aut e patria expellitur, unde tum profugus in exilio uersari dicitur. Ea autem mala fortuna, ut multi norunt, Ianum Novák ipsum persecuta est; qui cum anno 1968 cataphractis souieticis patriam inuadentibus una cum illo Vere Pragensi fugisset, in Daniam, tum in Italiam, denique in Bauariam uenit. Is igitur uidit Vergilium saepius de fuga scripsisse – nam ipse Aeneas ut *fato*

³ Ianus Novák fere unus est e musicis qui post litterarum renatarum aetatem fuerunt, qui in antiquis uersibus dimensionem syllabarum diligenter expresserit, cf. W. Stroh, „Jan Novák: moderner Komponist antiker Texte“ (primum 1999), in: *Dino, Zeus und Asterix [...]*, ed. Inken Jensen / Alfried Wiczorek, Mannheimii 2002, 249-263. Quid hic ipse secutus esset, exposuit in: *Musica poetica Latina - De uersibus Latinis modulandis*, ed. W. Stroh, Monachii 2001 (cum transl. Germ. et comm. Latino).

⁴ *Dido: Narratio, cantica, lamenta ex Vergilii uersibus composita uocum sonis instrumentorumque discripta* inter opera praestantissima habetur; disco excepta a Rafael Kubelik Radiosymphonicos Bauaros moderante prostat apud <http://www.antike-zum-begreifen.de/>

profugus initio carminis exponitur –, unde Ianus quattuor sibi locos elegit, qui, cum agerent de fuga, *fugae* musicae aptissimi uiderentur.

Prima autem, ut dixi, notissimos illos uersus complectitur, quibus inter se opponuntur Tityrus, cui in terra patria remanere conceditur, ut *patulae recubans sub tegmine fagi* suam Amaryllida cantare possit, et Meliboeus, qui se iam exulem sentit: *nos patriae fines et dulcia linquimus arua / nos patriam fugimus*. Ac primum suauiissima *fuga* otium et laetitia Tityri explicatur, subito tunc durioribus numeris interrumpit malum fatum Meliboei; in fine autem utriusque modi inter se docte coniunguntur, ut cum aliae uoces Tityrum beatum dicant, aliae iterantes illud maestum accinant: *nos patriam fugimus ...* Quis musicus umquam Vergilium sic expressit!

Aliquanto simplicior, sed eo fortasse iucundior est *Fuga* secunda. Hic agitur de fuga temporis, ad uersus georg. 3,284-5:

... fugit interea, fugit irreparabile tempus,
singula dum capti circumuectamur amore.

Hic uoces graues (quas etiam *bassas* dicunt) numeris obstinate pulsantibus rapidissime iterant suum *fugit fugit tempus*, aequatis uidelicet syllabis; et super hoc fundamento parum stabili denique fuga temporis sine mora festinantis pulcherrima *fuga* describitur. Tantum cum *capti amore* in *singulis* cantores haerent, parua pausa respirationis permittitur; tunc iterum tempus ui inexorabili omnia secum rapit, nec finis cantus rotam eius uolubilem sistere posse uidetur. Hic, si quando, plausum chorus Pragensis quaerit et meretur.

Restabat tertium Vergili opus, Aeneis. Quae, ut omnes sciunt, in prima parte errores, in secunda bella habet. In bellis igitur, quam materiam Ianus tractare alias non solebat, uerissimam fugam describit. Nam in libro nono, ubi Troiani sine Aenea duce defendere sese coguntur, Mars ipse, numen bellicosum, primum Latinos ad pugnam incitat, tum Troianos turpiter fugat (9,717-719):

Hic Mars armipotens animum uirisque Latinis
addidit et stimulos acris sub pectore uertit,
immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.

Vnde haec quoque pars in duo membra discedit, ut duae *fugae* existant, altera Latinis, altera Troianis dicata. Qui uix ullam salutis spem habere uidentur, cum denique ambarum *fugarum* modi in unam *fugam* conglutinantur. Quae pars etiam cantantibus difficillima est. Regnat – eaque ultima uox est – *Mars!* Quam uellemus Aeneas rediret.

Sed pars ultima ad bucolica uitamque pastoralem redit ipsumque reditum, qui *fugae* contrarius est, sibi ut argumentum proponit (10,75-77):

Surgamus, solet esse grauis cantantibus umbra;
iuniperi grauis umbra, nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, uenit Hesperus, ite, capellae.

Iterum duae *fugae* iuxta ponuntur, quarum prima (*Surgamus*) propter graues umbras lentior, altera (*Ite domum*) more capellarum lasciuior est. In fine autem ambae dulcissime inter se coeunt, ut iam omnia pacem concordiamque spirare uideantur. Satis *fugae!* In patriam domum reditur. Quod tamen Iano Novák ipsi non contigit: nam is exul de uita decessit.

Sequitur opus ualde diuersum, quamquam denuo inter pastores uersatur. Nam *Inuitatio pastoralis* sumpta est e *Carminibus Buranis* per Carolum Orff notissimis, quae praeter multa lyrica et satyrica etiam nonnulla dramatica habent. Inter haec est maior aliqua fabula natalicia, i.e. de Christo nato rhythmis mediaeualibus scripta. E qua Novák feliciter sibi eam partem sumpsit, quae modulos musicos maxime posceret. Nam angelus, dum (secundum Lucae euangelium) laetum nuntium de Deo in praesepio iacente pastoribus affert, interpellatur ab ipso Diabolo, qui illos a debita ueneratione auocare conatur, adstrepente choro minorum daemonum, qui *Ha-ha-ha* dissonis uocibus clamando stultitiam pastorum arguunt. Ipse autem

disputat philosophice nec uilia argumenta affert, ut Deo stabulum placere non posse comprobet. Angelo autem etiam id obicit, quod rhythmice loquendo (non sine homoeoteleutis) sua mendacia commendet – quod tamen ipse quoque facit!

Simplex coetus, aspice, qualis astutia
eius, qui sic fabricat uero contraria,
utue sua phalerat nugis mendacia!
In rhythmis conciliat, quae profert omnia.

Haerent pastores nimis rustici nec quid agant norunt. Sed angelus contra haec subtilissima argumenta non suo acumini, sed diuinae musicae auxilio confidit. Quam dulciter enim sonat illud a superiorum choris cantatum *Gloria in excelsis Deo!* Flectuntur corda dura rusticorum nec Diabolo oratoria calliditas iam quicquam prodest:

Ad hanc uocem animi produco suspirium,
ex hac intus habeo citharizans gaudium.
Procedamus igitur simul ad praesepium
et curuatis genibus adoremus filium.

Nonne haec est pietas simplex et paene puerilis? Sed talis homo erat Ianus Novák. In quo uerum inueniebatur quod ille ipse in praesepio olim natus adultus discipulis dixit (Matth. 18,3): „Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum“. Tales etiam auditores sibi poscit *Inuitatio pastorum*.

Sed iam satis Christianae disciplinae! Ultima pars huius phonodisci nos denuo cum in metra tum in mediam religionem paganam rapit. Nam *Exercitia mythologica*, quae hoc nomine Ianus facete appellauit, uenerantur e maiore parte deos deasque Romanorum siue Graecorum. Nomen *exercitii* autem minus artem mythologicam quam metricam significare uidetur, quoniam omnia cantica uno solo pede gradiuntur (quod rarissimum est). Scripserat enim Horatius Alcaeam Lesbium imitatus oden quandam praedulcem e solis ionicis a minore (UU – –) constantem, quorum deni in singulas strophas colligati sunt (3,12): *Miserarum est / neque amori / dare ludum ...* Quattuor tales strophas Horatius composuerat; quem cum Ianus poeta⁵ superare uellet, eas in nouem strophas adauxit, forsitan ut is numerus Musis par esset. Nam omnia cantica aliquo modo ad Musas et musicam pertinent. Atque in his metris posita erat ars poetae (qui id ausus erat quod nemo antea). Ars musurgi autem eo tendere debebat, ut ex hac monotonia siue uniformitate metrica nullum taedium audientibus nasceretur. Quod Ianus Novák optime efficit eo quod longas syllabas interdum musica licentia protrahit (sic tamen ut eae semper breuiores dimensione excedant), deinde caesuris figuris uocum diuersitate rem iucundissime uariat et temperat, ut stropha quaeque sua propria gratia excellat.

Prooemium splendidum praebet *Apollo* citharoedus, quem chorus enixe rogat, ut suis parasitis faeat (quod nemo plene intellegit nisi qui fuisse Brunnae nouit *Parasitos Apollinis*, i.e. collegium musicorum a Iano ipso sub hoc nomine conditum). In secunda stropha inuocatur *Orpheus* inter homines cantor optimus fidicenque, qui propter Eurydicen etiam Orcum mitigauit:

Fide tu suaui sonanti canis, Orpheu,
canis et Cerberus ater iacet imbel-
lis. Vti nos quoque sirit fide tali
deus uti.⁶

⁵ De Iano Novák poeta Latino cf. Dirk Sacré, „La poesia latina moderna e contemporanea [...]“, in: D. Sacré / Iosephus Tusiani (ed.), *Musae saeculi XX Latinae*, Bruxellis / Romae 2006, 15-67 (ibi p. 18 sq., 43-47, 52-54); W. Stroh, „De Iano Novák musico et poeta“, in: Eckhard Keßler / Heinrich C. Kuhn (ed.), *Germania Latina. Latinitas teutonica* [...], uol. 1, Monachii 2003, 195-216

⁶ Notetur lusus uerborum: *canis – canis*. – Quod stropham in 3+3+3+1 metra disposui, feci libero arbitrio, immo licentia, non ulla necessitate metrica cogente. Nam Ianus Novák ionicos suos libere fluere sine uersuum distinctione uoluit.

Cui cantilenae suauissimae chorus hic illic, quia de chordis agitur, *plim-plim-plim* accinit. Peccat qui non ridet. Acriore cantico deinde *Erato* rogatur ut ipsa quoque lyram, eroticam scilicet, tangat; in fine autem molliuntur modi, cum illa, ut digna est, *era dulcis* nominatur. Proximus sequitur *Midas* cui ut artis iudici inertis Apollo aures ad asininam longitudinem protrahit. Caueant igitur critici! Summa arte autem canit et molliter ipsa sibi recinit *Echo*, quae hoc ipso *canones nos docet artem fugarum*. Ergo haec nympa prima magistra artis contrapuncti fuit!

Ad flatilia transimus. Hic *Minerua* tibicina duabus strophis inter se contrariis celebratur: Nam in prima dea deridetur quod tibiam inflando os sic distorquet, ut chorus interroget, *num tumeat bucca tibi* (*Mineruae*) *an mamma magis* – quam non urbane! –; in altera autem iram deae cantores caute deprecantur eiusque faciem et carmina per palinodiam quasi stesichoream laudant. Tunc ad molliculos modos inducitur *Tityrus* ille Vergilianus auenam modulans, cui ut *Amaryllidem* formosam digne celebret, lingua classica non iam sufficere uidetur; nam cantui Latino hic suprastruitur nota illa cantilena Iulii Caccini musici Itali *Amarilli mia bella*, quae etiam atque etiam responsione dulcissima iteratur. Finem autem facit ea Musa quae a choris saltantibus nomen habet eisque exsultare dicitur. Et quam furiose saltat, immo bacchatur *Terpsichore*, tunicae pudorisque paene oblita!

Hilaris Terpsichore ter pede terram
 quatit aut forte quater. Vestis aberrat
 super alb(um) usque genu: qualia o brach-
 chia, o crus!

Frustra in omnibus quae umquam choris cantantium scripta sunt aliquid inuenias, quod pedes sic ad saltationem incitet et stimulet. Ipsum Iacobum Offenbach cancanice aut Georgium Gershwin rhapsodice saltantem renatum existimes.

Laudaui, quantum potui, modos compositos ab eo, qui inter praeteritorum saeculorum musicos Latinissimus putandus est, tam metricae quam rhythmicae artis scientia par etiam grammaticis.⁷ Sed paene aequis laudibus extollatur chorus ille Pragensis, quem initio dixi, qui unius cuiusque operis indolem et characterem tam peculiariter atque egregie exprimit, ut interdum diuino quodam instinctu agere uideatur. Accedit quod etiam libellus, qui disco additur, magna diligentia elaboratus est. Nimirum composuit eum Eua Nachmilnerová, quae his proximis annis tantum studii in operibus Novákianis collocavit, ut nunc eorum fere peritissima dicenda sit.⁸ Atque iste libellus non modo omnia uerba canticorum una cum Anglicis, Germanicis Bohemicisque uersionibus, sed uitam quoque Iani Novák et singulorum operum descriptionem exhibet. Quid quod his etiam disputatio de Latina lingua uariis temporibus uarie pronuntiata adiungitur! Numquam puto phonodiscus Latinus aliquis tam docte et operose editus est. Sed quid plura disputo? Ipsi, si modo aures habetis, auscultate et gaudete!

⁷ Quomodo Novák modulos suos diuersis aetatibus Latinarum litterarum aptauerit, leges apud W. Stroh, „De Iano Novák musico Latinissimo“, in: *VISVQVE ET AVDITV IVXTA VENERABILIS ADROGANTIAM EFFVGERAT* [...] (Scripta in honorem Bohumila Moučková), Pragae 2013, 177-191.

⁸ Nuper in Vniuersitate Pragensi dissertationem inauguralem absoluit: *Jan Novák (1921-1984): Chapters of his creative years*, Pragae 2013 (Bohemice scriptam – sed translationem Anglicam aut Germanicam exspectamus).

